

DE EVICTIONIBUS.

8.45.1

Impp. Severus et Antoninus AA. Munatio.

Emptor hereditatis rem a possessoribus sumptu ac periculo suo persequi debet. Evictio quoque non praestatur in singulis, cum hereditatem iure venisse constet, nisi aliud nominatim inter contrahentes convenit.

PP. VI k. Mart. Severo II et Victorino consss.

[a. 200]

8.45.2

Idem AA. Quartae.

Quoniam avus tuus, cum praedia tibi donaret, de evictione eorum cavit, potes adversus coheredes tuos ex causa stipulationis consistere ob evictionem praediorum, pro portione scilicet hereditaria. Nudo autem pacto interveniente, minime donatorem hac actione teneri certum est.

PP. II k. Mart. Antonino A. II et Geta II consss.

[a. 205]

8.45.3

Idem AA. Aureliano.

Qui rem emit et possidet, quamdiu evicta non est, auctorem suum propterea, quod aliena vel obligata res dicatur, convenire non potest.

PP. VIII k. Aug. Faustino et Rufino consss.

[a. 210]

8.45.4

Imp. Antoninus A. Georgio.

Si praedium tibi pro soluto datum alis creditoribus fuerat obligatum, causa pignoris mutata non est. Igitur si hoc iure fuerit evictum, utilis tibi actio contra debitorem competit, nam eiusmodi contractus vicem venditionis obtinet.

PP. XI k. Aug. duobus Aspris consss.

[a. 212]

8.45.5

Idem, A. Patroniae.

Ex praediis, quae mercata es, si aliqua a venditore obligata et necdum tibi tradita sunt, ex empto actione consequeris, ut ea a creditrice liberentur: Id enim fiet, si adversus venditorem ex vendito actione pretium petentem doli exceptionem opposueris.

PP. XV k. Oct. duobus Aspris consss.

[a. 212]